DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

ABUSU ALCOHOLICORUM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS AC DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS,

DOMINI DECANI

NEC NON

CELEBERRIMORUM AC CLARISSIMORUM

DOMINORUM PROFESSORUM,

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT:

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME OBTINENDIS,

Moses Rosenthal,

PESTHIENSIS,

Chirurgiae Doctor, Obstetriciae artis Magister.

In theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis, die 1ma Julii, 1837.

VINDOBONAE.

Typis Haeredum a Ghelen.

For 'neath the nectar'd pleasure's tide
The rankest dregs of woe abide;
And every drop that cheers thy heart,
Will madden more the poison's smart.

CELEBERRIMO

MAGNIFICO ILLUSTRISSIMO

DOMINO

FRANCISCO GÜNTNER

MEDICINAE DOCTORI

SACRAE CAES. REG. APOST. MAJESTATI

ARCHIATRO

AD INCLYT. REG. AUST. INF.

A CONSILIIS

NEC NON

NOSOCOMII GENERALIS VINDOBONENSIS

DIRECTORI EMERITO

etc. etc.

VIRO

HUMANITATE BENEVOLENTIA ERUDITIONE

PRAESTANTISSIMO

TENERAS HAS PAGELLAS

IN

SUMMAE VENERATIONIS

TESSERAM

DICAT DEVOVET

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Per illas nuper Europae terras, in quibus humanitatem summum culmen attigisse nemo inficiasibit, iter faciens, abusum spirituosorum ibidem horrendum in modum invaluisse, non parum miratus sum; simul vero in Magno-Britannia, viros laude omnino dignissimos, contra id insurrexisse, et cum praeclari successu pugnasse, laeto animo observavi. Ad exemplum Americae septentrionalis, sub auspiciis Reverendissimi Domini Episcopi Londinensis, uniones formarunt et partim oretenus in concionibus, partim scriptis typis mandatis, abusum adgrediuntur [1]).

---

[1]) Vide: Gesundheitszeitung, neue Folge, herausgegeben und redigirt vom Dr. H. Beer. I. 1837. pag. 13. Ubi auctor praesentis tractatus mentionem de his fecit.

Respectu liquoris vitandi in duas abeunt classes, alii nihil nisi destillatum liquorem abominantur, vinum ergo concedunt; alii ab omni, vel saltem fermentato abstinent nomen »*tee totaler*« sibi imponentes.

Anno 1836, mense septembri, Londini, auctor concioni priorum, cui nomen »*British and foreign temperance society*,« interfuit, et a praeside, viro humanissimo Domino *John P. Parken, Esqu.*, societatis secretario honorario, invitatus, de iis, quae tertio, quo praxi medicae incumbit, lustro, circa intemperantiam vidit et legit referebat. Liceat principia, quibus innititur illorum methodus, hic summis attingere capitibus:

Moderate bibere primus passus ad excessus est, hinc perfecte abstinendum. Prava consuetudo non pedetentim forte, sed statim prorsus derelinquenda. A jurejurando, ideo repulsi, quod hoc potorem famosum prodat, et violatio ejus perjurum coram Deo reddat; potius abstinentiam simpliciter pollicentur, sequenti formula: placet nobis a spirituosis destillatis ab-

stinere, ni sint scopo medico, et causas, uti praxim intemperantiae vitare [1]).

Unio tandem non modo corrigendi munus suscipit, verum ei maxime prophylace cordi est; hinc non solum potores, sed et quemlibet, indiscriminatim, quamquam sobrius vivat, ut formulae praecedenti fidem promittat, volunt.

Redux, ea, quae ibidem reperi, cum iis, quae auctores de eadem materia exposuerunt conferendo, publici juris facere decrevi; et generalibus de Alcohole praemissis, prima sectione de usu, altera de abusu alcoholicorum tractare constitui: ast, opus in nimium crescere videns, omisi primam partem, et ex ipso secundo capite interim, delirio trementi [2]) ac dipsomaniae rescissis, proprium tractatum devovi.

In praesente opusculo solum de destillatis spirituosis tracto; et quoniam haec innu-

---

[1]) Wee agree to abstain from distilled spirits, except for medicinal purposes, and to discountenance the causes and practice of intemperance.

[2]) Hanc denominationem admodum mancam esse, eique potius »ectasia ebriosa,« substitui, suo loco demonstrabimus.

mera mala creant, in iis terris vero, quae vino abundant, homines multo sobriores videmus; hinc et de differentia utriusque liquorum generis disserendum esset; sed et hunc futuro relinquimus tempori laborem.

Dabam Vindobonae, 20 Junii, 1837.

SPECIES ALCOHOLICORUM.

Spiritus vini artis est productum; obtinetur dum corpora vegetabilia, aut substantiae animales, uti lac, in quibus principium saccharinum continetur, certo temperaturae gradui, (+ 5^0 usque 20^0 R.), sub determinatis circumstantiis, peculiari miscelae metamorphosi, seu fermentationi vinosae, subjiciuntur. Diversam refert indolem, ac diverso insignitur nomine, prout substantia illum largiens varia est: e vino et faecibus ejus spiritus vini proprie dicendus, spiritus vini Gallici, Franzbranntwein, cujus species Cognac imprimis celebratur; e frumento Crematum, seu vinum adustum, Korn-Fruchtbranntwein, quo Whisky, in Hibernia obvium, (Kwasz, Kislichi, Bartsch Russorum et Polonorum absque destillatione parantur); e saccharo Rum = spiritus sacchari, Taffia = spiritus succi sacchari; ex oryza Arrak = spiritus oryzae; e prunis Slibowitza; e juniperi baccis Gin Anglorum; e melle vinum mellis, Meth; e succo cerasorum, pomi mali, pyri Cider; e solanis tuberosis etc. et aliis vegetabilibus venit. Inter substantias animales: lac, et praecipue equinum, nomine Cumis notum, spiritum suppeditat. Hos nunc liquores ars aromaticis, et saccharinis diversissimis condiendo, in immensum multiplicat, et sub titulo Liqueurs, Rosoli, Claret etc. veniunt. Ex iisdem vero, multa aqua, substantiisque aliis,

commixtis liquoribus iterata destillatione alcohol sistitur purus.

SEQUELAE ABUSUS SPIRITUOSORUM.

Qui spiritum vini ingerit, quin praeceptis Jatrices ad id determinetur, eo abutitur.

Abusus hujus tres modificationes obviae sunt:

1$^{mo.}$ Nonnulla individua potui regulariter, et quotidie indulgent, quin eo usque procedant, ut plane crapula inde oriatur; homines ejusmodi tandem passim cancellos egrediuntur, et si, quod raro non fit, intemperantiae haud succubuerint, saltem non sat diu vixisse videntur.

2$^{do.}$ Abusus in nonnullis rarius quidém obtinet, tanta autem ad semel absumitur quantitas, ut ebrietas sequatur tandem.

3$^{tio.}$ Excessus hujus generis ab aliis tam brevibus repetuntur temporis intervallis, ut vix tempus a crapula liberum locum habeat. Talés ebriosi dicendi.

Quae ad crapulam producendam requiritur quantitas, varia est, pro diversitate liquoris, materiae, e qua paratur, ejus concentrationis gradus ac substantiarum ei admixtarum; pro diversitate climatis, anni et diei temporis; pro individui bibentis aetate, temperamento, habitu corporis, sexu, humanitatis gradu, consuetudine, opificio, vitae genere, stimulorum adsuctorum absentia, aut heterogeneorum contemporanea actione, jejuno aut repleto cibis ventriculo, aliisque circumstantiis differentibus.

Qui crematum prima vice, modica licet quanti-

tate haurit, ardore in lingua, in faucibus, oesophago, et cruciatibus vehementibus ventriculi torquetur; et pro diversitate circumstantiarum ac idiosyncrasiae, cephalaea, temulentia, vertigine, motibus febrilibus, vomitu, tussi, colica etc. angitur; imo mortem oppetere teneriora sunt visa individua.

Quantumcumque vero potus nauseosus fuerit, nec ullus unquam, sua sponte, ad eum rediret; tamen, causis, infra uberius exponendis, ad denuo iterumque tentandum, Japeti genus inducitur: et quo frequentius peccatur, eo dulcius venenum fit, tandem nectaris adinstar, in dies avidius, sorbillandum.

Potui addicti, gravissimis in republica officiis, rei domesticae, litterarum studiis, deerunt; in consortio faecis vilissimae, dies et numos, in tabernis abjectissimis consumendo; nec quibus deserunt has criminum officinas horis, civis honesti, conjugis fidelis, parentis teneri, amici sinceri partes explebunt; imo sibi et suis, ni commilitones in caupona excipias, oneri erunt; eo tandem res devenit, ut nihil illis gratum, nihil carum, nisi poculum fatale, omnis vitae socialis immemores, nihilque tam pretiosum, quod non promti, liquoris sibi dulcissimi obtinendi gratia, cederent. Exemplo sit pater, qui filium ad militiam coëgit ideo, ut, ipsissima die, numos auctoramenti, in potum nefandum converteret [1]); et femina, quae, eo scopo dentes sanos sibi evellit, ut pro pecunia ex iis divenditis percepta,

---

[1]) The drunkard reclaimed by John Edgar, London, Bagster 1835. pag. 22.

crematum coëmat[1]). Quidquod, in Anglia et Cambria, anno 1831, inter quinque casus commissi criminis, quatuor crematum pro causa agnoverunt; et in asylo urbis Liverpool, inter 495 mentis alienatione laborantes, 257 malum ab usu spirituosorum traxerunt; inter 77 casus morte violenta peremtorum, 67 spirituosis adscribi debuerunt, et inter 44 casus homicidii commissi, 40 numeraverunt, ubi, aut occisor, aut occisus, potor fuit[2]). Et similia in aliis terris occurrunt; in specie, cel. Clarus de rapido mali in Saxonia incremento conquestus, refert, ibidem se inter quinque homines, mentis alienatione aegrotantes, duos ad minimum potores invenisse[3]).

Abusus hicce autem non modo vitae psychicae, verum et organicae quam maxime nocet.

Ventriculi enim citra normam incitati motus accelerantur, digestio praeceps fit, succus gastricus' largiori quantitate secernitur, quam ad chymum bonae notae constituendum requiritur, acredine alioquin contracta, hunc insigniter depravat; igitur chylificatio, haematopoësis et assimilatio abnormis; haematopoëseos alienatio praecipue in systemate venae portae in conspectum venit; hinc hepar bibonum passim labefactatum, hinc in eo stases, infarctus, indurationes, hinc bilis quantitate et qualitate pec-

---

1) Temperance penny magazine. 1836, pag. 117.

2) Speech of the lord Bishop of London, held at exeter hall, June 29, 1831, pag. 6. 7.
Temp. pen. magaz. 1836, pag. 144.

3) Clarus Beiträge z. Erk. u. Beurtheil. zweifelh. Seelenzustände. Leipzig, 1828.

cans, hinc diarrhoeae chronicae, vel habitualis alvi obstipatio, icterus, hydrops et cachexiae innumerae, inter quas non rarum taenia solium specimen est [1]); non absimili ac hepar et alia abdominis viscera adficiuntur modo. Porro spirituosa hausta, sanguinem principiis phlogisticis exsuperantibus impraegnando, venositatem praevalentem, in systemate vasorum, condunt, hinc varices, haemorrhoides, etc., hinc combustiones spontaneae [2]). Idiopathica praeterea irritatio, in cavo oris et tubo intestinali locum habens, aut inflammationes idiopathicas: glossitidem, anginas, oesophagitidem, gastritidem, etc. producit, quae saepe ad organa vicina transeunt et cum laryngitide, bronchitide, pleuritide, pneumonitide, carditide, mesodmitide, diaphragmitide etc. complicantur, vel sympathice organa remota in consensum trahunt et phrenesim, ophthalmias etc. progignunt; aut cuncta haec mala qua protopathica et substantiva creat.

Inflammationes idiopathicae saepe lentissime decurrunt, nimisque subdolae sunt, quippe praeter vomitum, et indigestiones, haud raro phaenomena vix in

---

[1]) Wawruch, observationes clinicae taeniam concernentes. 4. Viennae, 1832. pag. 4: „mandones, bibones etc. vermem ceteris frequentuis observant,"

[2]) Kopp, ausführliche Darstellung und Untersuchung der Selbstverbrennung des menschlichen Körpers. Frankf. a. M. 1811.
Treviranus, Biologie. Bd. V. Seite 131.
Rudolphi, Grundriss der Physik. I. 212.
Trotter, essay on drunkenness. London. 1804.
Anno currente, 4ta Martii Bruxellis, in femina annorum 43, locum habuit; vide Wanderer, (ephemerides Vindobon.) Anno 1837. Nr. 69, pag. 274.

sensus cadent id edendo, funestis tamen exitibus, uti: incrassationibus, indurationibus et ossificationibus parietum tubi intestinalis, minores vel majores plagas occupantibus, in scirrhum, vel cancrum, aut phthisim intestinalem transeuntibus, necem parant; sed antequam hi terribiles exitus subnascantur, ventriculi parietibus rigescentibus, dynamica non modo ejus functio infringetur, verum et hoc organon perfecte amplius se contrahere non valens, plicas notabiles formando, in iis partem chymi recondet, quae stagnans fermenti instar, succos gastricos e causis praedictis alioquin corruptos, tanto deteriores reddet, et ab iis vice versa inquinabitur.

Praeter enumeratas, sequentes consuetae sunt, bibonum passiones: dyspepsia, flatulentia, tympanitis, vomitus matutinus, raucedo, tabes, haemoptoë, phthises omnis generis, emaciatio, diabetes, impotentia virilis, arthritis, ulcera chronica, marasmus, praematura senectus, carbunculi, erysipelas, impetigines, erythrema faciei, etc. ipsa imo progenies non raro parentum peccata luit. Nec nervis parcitur; etenim convulsiones, spasmi, epilepsia, cardialgia, cardiopalmus, hypochondriasis, hysteria, menstrua irregularia, abortus, hemiplegia, paralyses, variae vesaniae species, quo ectasia ebriosa, et dipsomania, totidem bibonum flagella, hujus sententiae triste argumentum largiuntur.

Mala, quae abusus spirituosorum inducit, sequentibus fere possumus complecti:

1mo. Ebrietatem et ebriositatem ac morbos potoribus proprios gignit.

2do. Innumeros alios morbos creat, quorum par-

tim dispositionem condit, partim causae excitantis vices gerit, partim utrumque momentum aetiologicum praebet.

3tio. Tandem morbos cunctos supervenientes summopere aggravat, therapiae consuetae resistentes, saepe malignos, subdolos reddit.

DE EBRIETATE.

Ejus formae diversae.

Ebrietas, per se spectata, morbis adnumerari nequit, quin tamen affectio gravis esse cesset; licet enim crapula soluta, phaenomena edita passim sponte dispareant; abnormis tamen congestio illa non raro organa nobiliora, ipsum cerebrum, tanta vehementia obruit, ut ne apoplexiae quidem immediatae exempla ad inaudita spectent, et affectiones nervosae graves crapulae, hinc inde, se adsocient, uti: hysteria, convulsiones, epilepsia, abortus, menstrua irregularia.

Cel. Trotter refert, se multos nautas vidisse, qui, dum ebrii erant, semper etiam insultum epilepticum passi sunt, et duos horum propterea in mare cecidisse, ac submersos fuisse; et feminam, quae dum ebria erat, tam vehementibus affectam fuisse convulsionibus, ut semper femur ei dislocatum fuerit, nec unquam sine artis auxilio reponi potuerit [1]).

Distinguimus ebrietatem ab ebriositate [2]).

---

[1]) Trotter, an essay medical, philoph., and chemic. on drunkenness, London, Longmann and Rees, 1804. pag. 96. et seq.

[2]) Senecae epistola 83. Plurimum interesse concedes inter ebrium et ebriosum.

Cicero Tusc. quaest. IV. 12, ut inter ebrietatem et ebri-

Complexus phaenomenorum, singulum in spirituosis excessum excipiens, *ebrietas* (Trunkenheit), persona vero in statu hocce constituta *ebria*, dicitur. Tres sunt ebrietatis gradus.

Gradus primus. Rubor faciei intensior fit, oculi scintillant, frons est serena, vultus hilaris amabilem laetitiam praeseferens, animus est liberior, vividior, ratiocinium expeditius, atrae curae evanescunt, facetiae propullulant, amicitiae et amoris teneri confessiones obtinent, multa et ea incaute, confuse balbutiendo proferuntur.

Gradus secundus: hilaritas fit clamosa, cum risu immodico, sermonibus ineptis, cantu incesto, actionibus stultis, gressu vacillante, incerto, ei infantum simili, lacrymis involuntariis, sensuum obnubilatione, oculis fixis, obfuscatis, susurro aurium, lingua sicca, difficulter movenda, tonos haud perspicuos proferente; labia sunt spuma obsessa, judicium est perversum, rationis usus interceptus, furibundus delirat, pulsus magis evolvitur, in arteriis principalibus insignior, facies rubra intumescit, venae colli turgent, respiratio citata est, halitus liquorem haustum redolet, sunt ructus acidi, accedunt vertigo et cataphora, situs erectus sustineri nequit, vertigo augetur, lineamenta faciei alterantur, sequuntur vomitus largus, materiae acidae, et alvi ac urinae dejectiones involuntariae, cephalalgia vehemens, sensuum abolitio; somnus tandem protractus, profundus, cum respiratione nimiopere citata, huic statui molesto finem

---

ositatem interest, aliudque est amatorem esse aliud amantem.

ponit. Functiones sensim ad normam redeunt; remanent tamen postera quoque die, caput dolens, et temulentum, lingua obducta, cavum oris saliva spissa repletum, sitis adaucta, ciborum vero pro tempore aversatio, totiusque corporis imbecillitas.

Tertius gradus. Status apoplecticus genuinus est, sunt sensuum mentisque functiones penitus abolitae, facies atro - caerulea aut livida, respiratio stertens, corruit corpus, cavum oris spuma plenum.

Constantes effectus ex abusu spirituosorum continuato inductos, nomine *ebriositatis* (Trunkenfälligkeit), insignimus; homo hac laborans *ebriosus* appellatur.

Inter minus opulentos, hinc inde moris est, jam lactenti spirituosa propinare; infantes tales, corpore tumido, spongioso, facie pallida, abdomine grandi, infarcto, tinea capitis aliisque impetiginibus, mox habitum scrophulosum insignem manifestabunt, et morbi infantiles consueti, rhachitis, atrophia, hydrocephalus, praematuram iis necem ferent; aut ingruente pubertate, haemoptoë, phthisis tuberculosa et purulenta, eos letho tradent.

Ubi autem adoleverint, robustiora individua, si, una cum continuato usu spirituosorum, vitam sub dio agendo, simul corpus duris laboribus exercuerint; passim systemate musculoso magis evoluto gaudebunt, atque vires physicas ad altum gradum evehent; ast in nervoso eorum systemate contrarium obtinebit, ingenii dotes mancae erunt, hebetes, torpidi, ac phlegmatici manebunt: si tales bibendo

certum limitem, sibi probe notum, non transgrediuntur, vitam quidem rudem, fere mere vegetativam, sed frequenter, absque morbosis phaenomenis, ad provectam usque aetatem ducunt, uti videre est in militibus, venatoribus, bajulis, piscatoribus, nautis, fabris serrariis etc.

Ingravescentibus tamen annis, tales communiter minus liquorum perferre valent, quam cui a multo tempore adsueverant, ita, ut quantitas secus sine molestiis hausta, nunc temulentiam, narcosin, ipsam ebrietatem producat; consternat haec mutatio miseros, suis negotiis jamjam minus assidue vacant, moxque omnia negligendo, mediis vitae sustentandae privi, otiosi, inordinatam vitam degunt, in lagena omne solamen quaerunt, tandem ebriosi fiunt.

Qui porro laute vivere, levi negotio et absque labore, reditibus sibi prospicere, viis minus honestis divitias corradere consueverunt, tandem forte rebus in adversis constituti, ad sortem emendandam assiduitate et industria uti nolunt aut nequeunt; rem domesticam, officia publica in dies magis negligunt, et demum, ad incitas redacti, crematum ingurgitando ex poculo oblivionis haurire opinantur. Homines ejusmodi, quamcunque adquirunt, sive mendicando, sive laborum mercede monetam, in tabernis dispendere festinant, de nutrimentorum indole et quantitate minus solliciti, noctem in tuguriis abjectis, aut plane sub dio agunt; sequente mane, frigore rigidi, fame exhausti, iterum ad scyphum confugiunt, et hac ratione per menses saepe ad continuam temulentiam ac crapulam pertrahuntur. Ceterum, etiam honestiores, spe delusi, fortuna sinistra, discordiis domesticis, rebus susceptis

minime ex voto cedentibus, in hunc conclamatum statum lapsos fuisse, observare licuit.

Generatim, ebriositas citius oritur in individuis juvenilibus constitutionis venosae, et sensibilis, complexionis tenerae, temperamenti sanguinei, vitae sedentariae ac desidi addictis, aut in talibus, quae repente, ex simplici et sobria vivendi ratione ad excessus in potu transeunt.

Ebriositas sub varia forma, in scenam prodit; vel enim offert:

1mo *Inhumanitatem ebriosam,* quae se exerit, aut per *ferociam;* estque potor contumax, insolens, vehemens, in iram et rixas pronissimus, semper opponens, cum desiderio haud vincibili, quaecunque invenit, destruendi, confringendi, aut per *morositatem,* quippe sorte sua, minus contentus, lites publicas, fraudes, lusum, etc. quaerit; vel:

2do *Apathiam ebriosam;* potor cuncta aequo animo fert, erga vitae amoenitates insensilis, officia negligit, res domesticas non curat, vitam mere animalem ducit, bonam societatem vitat, faeci civitatis se adsociat, de decore nullatenus sollicitus; vel:

3^tio *Fatuitatem ebriosam;* haec modificatio vitium multum increbuisse monstrat; potor adstantibus ludibrio exponi summopere in deliciis habet; non autem stultitia, sed facete dictis, risum moveri putat. Varietatem sistit *liberalitas* peculiaris, qua omnia, quae miser possidet, aliis donare studet.

4to Malo ad majorem gradum evecto, *sensuum fallacia* et *hallucinationes* obtinent; alia, quam quae adsunt, objecta, videri, palpari, audiri, putantur; et denique:

5to ipsa *vesania*, sub diversis formis, cujus terribilis species *ectasia ebriosa* est, locum habet.

Ipsum desiderium bibendi, in longe plurimis casibus plus minus per voluntatem dirigitur; tandem vero summum miseria culmen attingit, imperium voluntatis penitus cessat, et *dipsomania* vera, non mera psychica, sed et simul somatica affectio infelicem plectit.

AN ABUSUS TAMEN NECESSARIUS?

Danturne rationes quaedam, quae spirituosa diaetetica esse jubent? Spirituosa nunquam diaeteticis accenseri possunt; nihil enim, nisi stimulantia mere volatilia sunt, quae pro momento quidem vires excitant, et in casibus supra enumeratis utiliter exhibentur; cum autem stimulantia volatilia robur constans nunquam inducunt, sed potius quanto magis vires ab initio exaltant, tanto insigniorem videmus subsequam relaxationem: hinc longe à vero aberrat, qui per frequentius, largiusve ingesta spirituosa, viribus prospicere putat; si haec vero tanta corpori, tantaque animo damna struant, quin ullum unquam fructum adferant, quis, inquam, sanae mentis, ea diaeteticis inseret? [1])

---

1) Declaratio Medicorum, qui *Londini* sunt, sequens est: „We, the undersigned, declare our conviction that distilled Spirit is not only unnecessary but injurious to persons in health: that it contains no nutritive quality; that its daily use is a strong temptation to drunkenness, occasioning many severe diseases, and rendering others difficult of cure, leading to poverty, misery, and death; and that its entire disuse, except

Sufficerent haec pauca rite informatis; vulgus tamen, et hinc inde nostrae farinae homo objiciunt certas dari rationes, in quibus ad sanitatem integram conservandam spirituosa large, sedulove ingerere necessarium est; id contingere relate ad eos, qui clima frigidum, humidum, nebulosum incolunt, praecipue, si advenae et non adsueti in eo commorantur porro, qui longa itinera conficiunt, qui ergo saepe brevi temporis intervallo, ingentem aëris vicissitudinem experiuntur, qui corpus laboribus multum exercent, quibus intrepidos, audacesque esse convenit, qui a multo jam tempore abusui addicti sunt, etc.

Nautas, milites et operarios, maxime in his relationibus versari, nemo dubitabit; et, si hos spirituosis opus non habere, imo, absque iis meliori anim et corporis statu gaudere, demonstraverimus, ren acu tetigisse opinabimur.

Circa nautas, testimonia medicorum celeberrimorum, qui per annos et annos classibus additi omnia permearunt maria, praesto sunt, nostram tuentia sententiam [1]).

---

for purposes strictly medicinal, would powerfully contribute to the health, morality, and comfort of the community". — In latinum translatum ita sonat: Infrascripti se de e convictos esse declarant, quod spirituosa destillata personis sanitate integra gaudentibus, non solum non necessaria, verum et nociva sint; quod qualitatem nutrientem non contineant quotidianus illorum usus ad ebriositatem ducit, plures grave morbos gignat, aliorum difficilem reddat curam, paupertatem et mortem ferat, et quod abstinentia ab illis, excepto scop stricte medico, certe eximie contribuat ad sanitatem, moralitatem promovendam, et rempublicam incolumem conservandam.

[1]) Trotter, in op. citato.

Porro magistri navium et mercatores, olim spirituosorum defensores pertinacissimi, meliora edocti, nobiscum de eodem consentiunt; cum enim, anno 1834, humanissimi Magno-Britanniae viri, ex suis, de abolendo nefando abusu in America sollicitis antesignanis, requisivissent, ut a naucleris fide dignis circa successum in re illa laudabili sententiam rogent: viginti et ultra viri experientissimi, quibus, in circiter 60 navibus, mille homines subsunt, licet in dissitissimis mundi plagis constituti, tamen eandem expresserunt mentem. Responsa cunctorum, sequentibus comprehendi conabimur: dedimus prius per annos et annos nautis spirituosa, ab octo circiter annis non amplius; hi vero abstinendo melius se habent, mandatis exactius obediunt, tempore procellae, cum sobrii homines, rarius ac olim naufragi fimus, sub balaenarum captura, ubi saepe per decem menses in humidis et frigidis aquae exhalationibus continuo versantur, itidem sine spirituosis, quoque perbene valent, et morbi rariores occurrunt ac antea; verbo: spirituosa nunquam proficua, saepissime vero damnosa reperta sunt. Ceterum caldam arabicam aut potum herbae theae et similia substituunt [1]).

En plus. In *New Bedfort*, Americae terra, anno 1832, pro balaenarum captura 95 navibus licentiae datae sunt, et in 74 harum homines principia temperantiae observant; et anno 1834, mense aprili,

---

[1]) Authentic testimonies of american merchants and masters of ships relative to total abstinence from distilled Spirit on ship-board. London. Bagster.

eadem terra 216 numerabat naves, quarum 186 temperantiae adseclas vehebant [1]).

Denique 1,200 naves illac, quae maria quaquaversum scindunt, cum incolis temperantiam stricte observantibus, et sorte sua contentissimis [2]), adversarios certe confundent.

Militibus pariter spirituosis *opus non esse* sequentia vindicabunt.

Celebris erat virtus bellica, et disciplina Romanorum; hi orbem terrarum peragrati sunt, splendidissimas retulerunt victorias, omnes sub jugum misere gentes, quin alter potus, praeter aquam fuerit illis concessus.

Porro perpendamus, quid hodie in *India* contingat; adest ibidem exercitus ex indigenis constitutus, et Angli illuc ex suis praesidia collocant; barbar hi nihil nisi aquam bibunt, et homines fortissimi sunt praecipue laudatur cursus eorum velox; sic narrant unum talem, qua tabellarium, centum quindecin milliaria anglica, tempore triginta novem horarum pedibus ivisse; et animi dotibus excellunt, superiorum dicto obedientissimi, in officiis diligentissimi sunt: Angli vero, eandem licet saepe urbem incolentes cum praecedentibus, passim tamen Rum Arrak et similia in deliciis habentes, longe alian

---

[1]) In eodem opere cunctae hae naves singillatim recensentur ubi in schemate, cujusvis navis nomen, porro, an temperantiae devota, nomen eam conducentis, numerus hominum et pondus cui vehendo navis par est, discrte exponuntur et quidem 95 priores pag. 25 et 26; 216 ultimae pag. 27 28, 29.

[2]) Temp. penny magaz. 1836. pag. 69.

offerunt imaginem; quippe debiles, emaciati et exhausti, nosocomia continuo adimplent, ac mors horribiles inter eos strages edit; praeterea frequenter ebrii, audacter ducibus suis contradicunt, officiisque quam frequentissime desunt [1]). Ipsi milites, attenti redditi, inter se de abolendis spirituosis convenerunt; et in specie, de chiliade anglica, sub numero 54 consignata, et nunc in *Tritchinopoly*, in *Madras* degente, nuntiant, inter 750, quos numerat homines, 618 temperantiam spondentes eam stricte observare, exemplumque undique imitari.

Et intellexit jam hoc Supremum Regiminis Collegium, nam, ab anno 1829 in India spirituosa distribuere cessat, et in locum eorum cuique militi tres Ruppias et duas Annas, circiter 3 fl. 50 kr. C. M., menstrue numerat [2]).

In America septentrionali denique spirituosa ex militiae promtuariis jam penitus proscripta sunt [3]).

Tandem, *an operariis* omnis generis, bajulis, etc. *prosit* ingurgitatio haec abominabilis, quaestio est, quae in sequentibus optime responsum invenit. In Anglia, operarii, qui temperantiae principia observant, majore mercede remunerantur, semperque praediliguntur, quod locum non haberet, nisi experientia doceret, sobrios fortiores et ad labores omnis generis perficiendos aptiores esse [4]).

---

1) Temper. penny magaz. 1836. pag. 44.
2) Ibidem. pag 125.
3) The drunkard reclaimed, by John Edgar, London. 1835. pag. 49.
4) Temp. penny mag. 1836. pag. 82. Ibid. pag. 131.

Postremo, factis assiduo collectis, liquet, nec a consuetudine, nec aetate, sexu, vitae genere, temperamento, nec climate, aut ulla ratione, usum alcoholicorum diaeteticum exigi; et exempla nota sunt innumera hominum, qui olim potores, semper aegri, debiles, et ad incitas redacti erant, tardius, vitio deposito, sanitate optima gavisi sunt, florentibus simul rebus domesticis.

Sed, dicunt adversarii, in terris, in quibus hic abusus late per populum propagatus est, nemo mortalium eum eradicare poterit. Iterum facta plenarie hoc refutant praejudicium.

In America septentrionali, ubi fere quemvis tricesimum hominem potorem famosum, et quemvis tertium moderate bibentem, calculo argute ducto, aestimarunt, numerus igitur illorum 500,000, atque horum 5,000,000 efficit, cum frequentia hominum 15,000,000 sit [1]); quantum se non opposuerunt hae legiones bibonum, tam densis moderate bibentium cohortibus fideliter stipatae! tamen en triumphus bonae causae: 4,000 hominum, ibidem parandis spirituosis intentorum, et 10,000, his divendendis occupatorum, negotium dereliquerunt; 1,000,000 abstinentiam spoponderunt; 1,200 naves absque his vela dant per omnia maria circum, et 16,000 famosorum olim bibonum abdixerunt, [2]) et haeret in tergis fugientium victor!

Similiter per Angliam vitium hoc late regnum

---

[1]) Temp. penny mag. 1836. pag. 140.
[2]) Ibidem pag. 69.

suum extendebat; inter viginti enim familias unam spirituosis vel fabricandis vel divendendis occupari, palam est 1); et vectigal in hac terra pro liquoribus diversis perceptum, majorem numorum summam ostendit, quam proventus totius imperii Russici efficiunt 2)! opponebantque temperantiae progressibus bibones Angliae, non minus fervide, ac ii Americae, quaecunque poterant obstacula, et hinc et illinc terrorem sparserunt; sic in oppido *Redruth* (22da septemb. 1835), thermopolium, e quo spirituosa excluderentur, prius instituere ausi non sunt, quam plurimi, e gravioribus civibus id scriptotenus petiissent 3), nec scenae horribiles, ubi ad manus deventum est, deerant.

Ut autem appareat, quantum boni, his non obstantibus, per conamina sua humanissimi viri praestiterint, e diversi generis factis, testibus fide dignissimis corroboratis, aliquot specimina seligere liceat: numerus heluonum decrescit; sic in oppido *Leeds*, 156 olim bibones, de quibus conclamatum videbatur, nunc penitus abstinent 4); porro ipsi, qui quaestum cum spirituosis exercent, sensim negotium derelinquunt, id quod in unico oppido Greenock, 84 tales sponte fecerunt 5); pari passu mores emendari videmus; sic in oppido *Preston* (ubi 22da mar-

---

1) Temperance societies examined. London, Jackson and Walford. 1835. pag. 5.

2) Temp. penny mag. 1836. pag. 121.

3) Ibidem pag. 12.

4) Ibidem pag. 91.

5) Ibidem pag. 12.

tii, 1832, contra intemperantiam unionem formarunt), ergastula sequentia observatione digna obtulerunt: anno 1831 tertia pars eorum, qui in custodiam dati sunt, ipsius oppidi incolae erant, anno 1834 solum septima, et anno 1835, plane tantum nona pars detentorum ad oppidum pertinebat [1]).

Sed adversariis silentium nondum impositum; „vigesima quaevis familia divendendo spirituosa panem sibi procurat, unde nunc tot mercatorum, abolito hoc abusu, dirae penuriae in praedam datorum saluti prospiciendum?« redargunt.

Si autem affatim demonstraverimus, spirituosa imprimis damnanda esse, necessario, qui ea multiplicant, summi criminis rei erunt, et eorum non alio commiserabimur jure, quam quo vincula et carceres abrogaremus, ne fures et latrones, in negotio suo impediendo inediae exponamus; insuper perpendendo, qualem ipsi ex hoc commercio passim referant sortem, quam parum perdant, si ab eo deterreantur, facile elucebit: maxima enim eorum pars strenui bibones sunt, et miserrime tandem vitam terminant, et sui similiter ideo pereunt; relatio de quindecim ejusmodi hominibus, qui in spatio, unum milliare anglicanum non excedente, cohabitarunt, et quorum fata, ambitu triennii includuntur, tristissimam hanc veritatem abunde confirmat [2]).

---

1) Temp. penny mag. 1836. pag. 59.
2) Ibidem pag. 39.

CAUSAE ABUSUS.

Principalis abusus causa certe est praeconcepta illa de salubritate, et in specie de virtute roborante spirituosorum opinio; hac seductus, pater filio, amicus amico ominosum porrigit scyphum, magister navis portum deserere dubitat, nisi his prius horreo abunde reconditis; hac seductus belli dux eadem uberrime elargitur, et sarcinarii, bajuli, operarii, eadem fide vana, saepe ad illa confugiunt, qui autem, non modo ipsi in dies magis genio suo indulgent, verum etiam socios, quotquot possunt, sibi adsciscunt, eosque ad imitandum exemplum exhortantur. Et, pro dolor, raro adpulsum surdas ad aures nefandum consilium!

Insuper spirituosis virtutes medicae ultra quam possident adtribuuntur, et si frequentissime contra affectiones morbosas incassum iterantur, rarius accidit, ut in consuetudinem haud abirent; sic vulgus indigestioni, hypochondriaseos paroxismis communiter ea opponunt, idque ab initio saepe cum levamine: sed quo diutius in abusu continuant, tanto doses magis augendae, et tanto minus efficacia redduntur; in quotidianum potius degenerant potum.

Alia causa abusus est mos, qui invaluit, spirituosa, qua argumentum amicitiae singularis aliis offerendi, et respuentes odio persequendi, in conviviis autem contemtui exponendi. Homo nauci est, et tanti nominis indignus, qui ut virum decet, crateras evacuare nescit; ita solebat oblatum respuentes poculum adoriri quidam praedii possessor. O mi fili! ecce calda citrea (punch), exclamat stolidus, atque

edentulum cogit, ut igneum gustet liquorem; huc spectat methodus captiosa, qua pro leviori servitio domesticis, aut aliorum servis, sub nomine munusculi (Trinkgeld), pecuniae loco aliquid liquoris dant; hac ratione homo, qui hucusque sobrius vixit, nec unquam fors primis tentasset labris, nunc, si insuper hera forte niveis suavissime subridendo porrigit brachiis, respuere nequit.

Porro, ad diffundendum hunc abusum symbolam suam contribuunt epulationes, quales multis occasionibus solennes sunt; tales obtinent: ubi fundamenta domus jaciuntur, tecti substructio finitur, claves traduntur, et similia sub fabricatione navium occurrunt; porro: ubi opifices puerum inter tyrones recipiunt; occasione baptismatis, funerum [1]), vigiliarum, nuptiarum, post reditum a messe, vindemiis, etc.

Saepissime autem potui se devovent, qui ad desperatos accedunt, sive mercurius, sive mars, sive amor infidelis in culpa sit.

Maxime tamen ad hoc vitium inducit desidia, praecipue, quod passim evenit, si cum societate prava congruat; notandum, experientia constare, potores dum soli sunt, genio rarissime indulgere [2]).

---

[1]) Postquam vir honestus olim, qui uxorem tenerrime amavit, potui se dedit, hanc pessime tractavit, et demum miserrimam obiit mortem; svaserunt amici viduae, ne, ut passim occasione funerum fit, spirituosa distribuat: illa, licet huic vitio summum infortunium in acceptis retulerit; tamen a more deflectere non est ausa. Vide: The drunkard reclaimed pag. 61.

[2]) Ibidem, pag. 52 legimus: A man is fallen very low in degraded drunkenness before his conscience will suffer him to drink alone. »Is it not a shame for you,« said a minister of

Primas denique partes in promovendo hocce vitio certe caupones tenent, miseros variis adliciendo artibus: tabernam adornando, illuminando, non modo de baccho, verum et de venere versute solliciti; liquores dulcibus, aromaticis condiendo, nominibus novis inventis, et ante portas cauponae, ac in triviis, affixis tabulis, magnis encomiis extollendo: tanto autem majorem incautorum numerum laqueis irretire poterunt, quanto annonae insignior vilitas, quanto igitur materia liquores largiens magis obvia erit.

CURA ABUSUS.

Superius monuimus, vitium spirituosis abutendi, per se spectatum, ad morbos referri haud posse, et revera, ni in dipsomaniam [1]) degenerat, ad mala semper moralia spectat; et in eo ratio quaerenda, cur remedia pharmaceutica, quae unquam ei opposita sunt, incassum tentata fuerint; sed nec rationes, quas magistratus iniverunt, successu coronabantur magis prospero, quippe multa, carceres, verbera, etc. sine fructu manserunt [2]); nec jusjurandum, quod potores dederunt, majoris efficaciae erat [3]).

---

the gospel to a notorius drunkard, »to be thus getting drunk at public markets, and to be rolling drunk along the roads? could you not stay at home decently, and take a comfortable glass or two with your wife and family beside you?« »would you have me to make a beast of myself altogether,« was the drunkard's indignant reply, »to sit and drink alone!«

1) In ectasia ebriosa utique non delectantur potu, et vix abusus locum habebit cura.

2) Sic celeb. Clarus refert: bibones saepe duodecim vicibus in carceres conjectos, ad duros labores perficiendos condemnatos, inediae dedecorique expositos fuisse, quin emendarentur; nam eadem, qua ergastulis liberabantur, die, excessus horrendos

Sit venia exquisitam relationem hujus moris, in Scotia, sub nomine *putting in the pin*, in Hibernia vero *taking an affidavit*, vel *becoming an affidavit man* saepe obvii, hic subjungere.

Jurant in his terris jurandum coram magistratu, vel sacerdote a parentibus, consanguineis, conjuge, vel propria conscientia ad id provocati, aut hero, id pro conditione sine qua non, exigente. Paucissimi horum, qui sub omnibus circumstantiis, et pro semper abstinentiam spondent, passim pacto stant; plurimi vero certum tempus, menses, vel annos figentes, aut plane perjuri sunt, aut elapso vix termino cum rabie quadam ad pristinum redeunt vitium; alii conditionatim pollicentur, e. g.: se nihil bibere velle, quod non e manibus uxoris, heri, vel medici acceperint; sub vario nunc praetextu his personis lagenas dant, recipiunt et bona conscientia evacuant. Narrant quemdam tam domi suae, quam extra illam abstinentiam pollicitum, capite per fenestram porrecto liquores ingurgitasse, asserendo jusjurandum violatum eo non fuisse, quia dimidius intra, dimidius extra domum constitutus erat, de dimidio autem sermo non fuerit; et de altero, qui nisi super proprium fundum existens spirituosa vitare spondet, sed glebas ex aula sua effodit, has secumfert et ubicunque bibere vult, eis pedibus insistit.

Nos circa curam sequentia stabilimus: distinguimus curam prophylacticam ab ea ipsius mali evoluti.

---

commiserunt. Vide Clarus Beiträge z. Erk. u. Beurth. zweifelhafter Seelenzustände. Leipzig, 1828. pag. 111.

[3]) The drunk. reclaim. pag. 26.

Prophylactica cura, qua praecavendum, ne ii, qui ab hocce vitio immunes sunt, in id unquam labantur, maximi est momenti; in hunc scopum ea, quae inter causas retulimus, sedulo vitanda sunt. Procul igitur absit a nobis, ut alios ad ingurgitationem spirituosorum exhortemur, sed potius pro viribus, quos possumus cunque, ab hocce abusu avertamus; non ingrediantur liquores hi amplius promtuaria, sive bellica, sive navium, a conviviis, et epulis arceantur, nec munusculis inserviant, desides ad industriam invitemus; qui spem dejecere mediis, quae circumstantiae, et praecipue ecclesia, offerunt, erigendi sunt; numerus cauponum restringatur.

Praeterea de immenso periculo praemoneamus ignaros, quod, vix primis gustatum labris, difficillimum sit revocare gradum, et in extremos excessus lapsum arcere; mala terribilia, quae sequuntur ob oculos ponendo, vitam potorum cum omnibus, quos offert, horroribus describendo, cunctaque factis, eheu tam obviis! illustrando.

Regula, a qua deflecti nequit, inculcanda: nihil, nec guttam quidem esse concedendam; cum vel moderatissime bibere, in longe plurimis caibus, initium excessuum terribilium fuerit.

Eos autem, qui per multos annos parcissimam quantitatem quotidie hauriunt, quin limitem transgressi unquam fuerint, quinve excessus commiserint, attentos reddamus, quod et per multa lustra cautissimos viderimus tandem cancellos egredi, et voragine absumi; ac enixis precibus tanto magis ad abstinendum tales persuadeamus, quod exemplo suo agmen heluonum tantopere augeant, et hac ratione hostem

illum generis humani summe iniquum nutriant et foveant. Efficacissimum denique prophylacticum est educatio bona; sint pueri cultus divini probe gnari, litterarum amantes, laboris patientes.

Ubi vero agitur de potore curando, iterum dichotoma obtinet ratio, alia nempe durante insultu aut paroxismo, alia extra illum locum habet.

Sub insultu summa cautione opus est, ne hic cum alia affectione confundatur, uti sunt: paraphrosyne, cataphora, typhomania, amentia, vertigo, epilepsia, intoxicatio, phrenitis, apoplexia, etc. In hunc finem phaenomena ebrietatis superius exposita, cum symptomatibus affectionum antememoratarum, attentissima conferantur mente, et momenta diagnostica cuncta in auxilium vocentur. Specialia addi amplum foret, et vix ullius fructus; nam levioris gradus crapula simplex primo obtutu dignoscetur, altioris vero gradus, aut complicata, plena omnino pathologica cognitione, et summa saepe sagacitate opus habebit.

Si vero in enchiridiis legimus: „Originis modus, notio causae efficientis, halitus oris bacchum redolens, vomitus ingestorum, absentia febris atque spontanea et cita functionum restitutio post captum somnum omne solvunt dubium"; nos haec insufficientia credimus, nam, si bibo, qui semper bacchum redolet, e popina egreditur, ibi nunc aut parum aut nihil bibit, si talis, inquam, convulsionibus, epilepsia, vertigine corripitur, si ibi intoxicatus est, apoplexia tangitur, certe parum ad diagnosim stabiliendam valebunt; nec vomitus crapulae phaenomenon constans est, nec febris in affectionibus ejus

formam mentientibus semper adest, nec crapulae symptomata febrilia penitus desunt; post captum somnum, functionum spontaneam restitutionem omne solvere dubium, non negamus; sed licetne eousque judicium suspendere!

In ancipiti casu saltem suadendum, ut therapia contra graviorem affectionem dirigatur.

Ubi vero de crapula simplici certi sumus, hominem primo ab omnibus fasciis stringentibus liberemus, a focali, braccarum vinculis, periscelidibus, thoracis lanei funiculis, etc. laxemus; calcei, cothurni, et quae possunt, reliquae vestes ei exuantur, lecto committatur, situs erectus cum capite elevato sustineatur; aër sit purus, liber, temperatus; cum feroci utendum mansuetudine; a cingillis vero et vinculis abstinendum; qui odium ejus incurrerunt, removendi; res quibus sibi et aliis nocere posset, sedulo abscondendae, et individua sobria eum rite custodiant.

Diversa autem, pro re nata, in usum trahantur remedia, uti: infusum fabarum arabicarum concentratum, substantiae attenuantes, involventes, mucilaginosae, oleosae, lac, acida vegetabilia, emetica, nitrum, ipsa venaesectio, quacum tamen caute mercandum, hirudines, fomenta frigida.

Extra insultum, si causa agere non cessavit, ea est amovenda, et omnia, quae in prophylactica cura exposuimus, hic quoque valent; maxime conemur, ut prava societas vitetur, et occupationes honestae quaerantur. Vitam potorum enaremus, qui, licet terribilem sortem experti, et licet per annos in vitium profundissime immersi fuerint, tandem

amicorum consilia auscultarunt, deserendo lagenam ad vitam socialem redierunt, ei fideliter per annos adhaerendo, sanitate, decore, suorum amore, gaudent. Haec ipsa individua, si in nobis est, coram adducantur.

Ipsum nunc *malum adgredienti*, regula unica coram sit: vitium statim prorsus deseri debet.

Jam cel. *Trotter* probe defendit, id conditionem sine qua non esse; illustrat rem exemplo, refertque eodem, quo scribit temporis momento, se aegrum, strenuum a longissimo tempore bibonem, cum affectione hepatis, et ictero, sub cura habere, ac eo, quod statim prorsus abusui spirituosorum abdixisset, mirandum in modum, orci faucibus eripuisse [1]).

Idem cel. auctor porro testatur, quod potores, ex quacunque demum causa ad carceres condemnati, et subito ad perfecte abstinendum coacti, mala inde non retulerint [2]).

Powers, praefectus carcerum in Auburn, in New-York, idem confirmat; imo adserit, sibi in custodiam datos meliori sanitatis statu gaudere, quam qua ejusdem terrae incolae in libertate constituti fruuntur [3]).

Ex relatione authentica patet: cunctis in Bo-

---

[1]) Trotter, in opere cit. pag. 116.

[2]) Ibidem.

[3]) Mr. Powers, the intelligent keeper of the prison at Auburn, New-York, affirms, »that the most besotted drunkards in that prison have never suffered in their health by breaking off at once from the use of ardent spirits; but that almost as uniformly their health has been improved. They seem to be very uneasy and somewhat lost for a few days, and with rather a poor appetite; after which they eat heartily, and improve in

stonii ergastulis, a 10[ma] julii ad 24[tam] septembris 1833, in custodiam datis potoribus eximiis, prorsus statim spirituosa denegata fuisse, quin ullus eorum periisset; ad praecavendum delirium tremens, ibidem decoctum herbae Absinthii concentratum, calidissime, instar potus theati hauriendum, propinant; idque encomiis summis celebrant [1]).

Sed redeamus ad medicos.

Cel. Dr. F. Reid dicit, qui intemperantiae addictus erat, ad semel ei renuntiare debet, sin minus haec mox tyrannidem reassummet [2]). Non gustent labia, quae prius ea fascinarunt.

Cel. Dr. Cheyne, nuper in Hibernia medicus castrensis supremus, qui multum in objecto nostro desudavit, declarat: qualecunque quis contraxerit sanitati adversum vitium, sit vorax, potor, aut opii devorator, si emendari in votis habet, ad semel desistere debet [3]).

Celebris, insuper in Anglia medicus, qui emendandis potoribus singularem operam dedit, sequentia profert: toties vidi homines, licet in pessimum statum per diuturnos excessus lapsos, potu statim prorsus abdicentes mox pristinam recuperasse salutem; ut cum quocunque demum debacchatore idem experimentum, intrepidus repeterem [4]).

---

health and appearance. It is worthy of remark, that in all prisons where entire abstinence from ardent spirits is practised, the convicts enjoy a better average health than is seen in the country at large.« The drunk. reclaim. pag. 31.

1) Authentic testimonies, pag. 17.

2) The drunk. reclaim. pag. 31.

3) Ibidem.

4) Ibidem. pag. 33.

Denique, aliam non dari methodum, experientia luculenter docet; societas enim temperantiae, quae praeeunte Dre. Breech semper huic firmiter adhaesit, millenos et millenos casus fide dignissimos ostendit, ubi res ex votis cessit: cum e contrario quandocumque pusillo animo suaserimus, ut a vitio gradatim recedatur, nos nullatenus profecisse candide fateri debeamus [1]).

OBSERVATIONES CIRCA MORBOS POTORES EX QUACUNQUE CAUSA PLECTENTES.

Quaevis febris potatorem adgrediens, in ectasiam ebriosam, seu ita dictum delirium tremens, degenerare proclivis est; et si topica inflammatio simul supervenit, discrimine plenus est morbus.

Quia autem potores frequenter febribus vexantur, pravam vero suam consuetudinem passim, medico sibi ignoto, celare student; sequentia scitu summe necessaria sunt:

Habitus potoris se prodit: obesitate spongiosa totius corporis, aut ad minimum facie inflata, colorem cupreo-rubrum offerente, oculis defixis, simul tamen pavide circumspicientibus, tremore et imbecillitate corporis jejuni insigni.

In specie vero observantur:

1mo. In febribus potorum symptomata sibi contradictoria occurrunt; ex aliis summe malignum, ex aliis benignum diceres morbum.

---

[1]) The drunk. reclaim. pag. 47.

2do. Mature erethismus nervosus evolvitur, et medicum in diagnosi stabilienda confundit; jam enim de encephalitide, jam de statu asthenico movet suspicionem.

3tio. Augetur non raro confusio per symptomata irritativa, in epigastrii et hypochondriorum regionibus se manifestantia, quae jam statum gastricum, jam hepatitidem, jam lienitidem mentiuntur; quibus minus attenti, ad innumeros in therapia errores, praecipue ad heroicam antiphlogisticam seducuntur; methodus haec pro momento sublevaret, sed tanto certius aegrum perdet.

4to Receptivitas pro medicamentis alteratur: emetica saepe vomitum non cient, sed potius diarrhoeas exhaurientes producunt; a salibus quoque mitioribus, dosi quidquam fortiori exhibitis, idem timendum; irritantia fortiora non conducunt.

5to. Enormis obtinet virium collapsus, et repentina mutatio in pejus post humorum, praecipue sanguinis, jacturam paullo notabiliorem.

6to. Morbi hi incremento rapido, et vehementia insolita ac mutatione subitanea in pejus excellunt; horum ratio, in congestione venosa ad organa nobiliora, in transitu in astheniam, in paralysibus, praecipue encephali, quaerenda est.

Hinc saepe apoplexiae lethales locum habent, quae senem, si non necant, fatuum reddunt.

Reconvalescentia semper lenta, recidivae saepe trucidant.

Pro Therapia ergo valent:

1mo. Methodus antiphlogistica semper minus generosa sit, ac symptomatum vehementia urgere videtur,

praecipue id de evacuationibus sanguinis tenendum.

2do. Erethismi nervosi ratio habenda; turgor auctus, passim venosus, solum leni methodo antiphlogistica, hirudinibus saltem in vera symphoresi encephali, Opio saepe, et frigore compescitur.

3tio. Ubi turgor hicce in abdominis visceribus invenitur, Tartrate stibiato, et Acetate, vel Citrate Kali, seu potu Riverii utimur. Ni malum exasperare velis, sanguinem non evacues; in altioribus quidem morbi gradibus hirudines evitari nequeunt, post quos Calomel, Moschus et Opium eminentia remedia sunt.

4to. Ventriculi et intestinorum status superexcitati nunquam non memores simus; quo fit, ut Calomel, emetica et mixturae salinae, diarrhoeis profusis toties ansam dent.

THESES.

1. In febribus ante crisim prognosis nulla.
2. Auctoritate in medicina carere nequimus, ei tamen caece adhaerendum non est.
3. Ars medica nec e libris, nec a natura sola condisci potest, sed magistro quoque opus est.
4. Non datur effectus sine causa.
5. Qui in tractando morbo causae rationem non habet, crassus empyricus est.
6. Agyrtarum artes ad nihilum reducuntur, ubi arca venditare iis prohibemus;
7. Hinc ne ipsimet pharmaca praeparent et dispensent, severe invigilemus.
8. Quemadmodum sanitatis ita et morborum status normalis datur.
9. Non datur venenum absolutum.
10. Qui pusillo animo medicamina heroica nunquam adhibet frequenter aegros perdet, quos prudentior salvasset medicus.
11. Alcohol vino jam paratum inest; ergo qua eductum, non qua productum, ex eo elicitur.
12. Conjunctiva est continuatio integumentorum communium.
13. In inflammationibus pectoris et abdominis, ubi hirudines indicantur, eae optime loco dolenti adponuntur.
14. Remedia solventia nonnulla simul tonica sunt.
15. Notio graecae et latinae linguae medico summe necessaria.
16. Nova nomina in medicinam intrudere, ni omnibus absoluta sint numeris, cautio esto, imprimis iis, qui philologi sane non sunt.